



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Titulus XXI. De Secundis nuptiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

expressum textum *c. fin. h. t. & cit. l. cum hic status*. Ut autem morte donantis confirmetur donatio, requiritur, ut eo vivente res donata sit tradita, ut dum possessio rei donatæ actu translata in donatarium. Sanch. *l. c. n. 6. & 7. Pirh. h. t. n. 7. & 19. arg. l. Papiannus. ff. h. t. & l. res. c. eod.* ita tamen, ut traditio etiam ficta sufficiat, AA. iidem; qualis censetur, dum maritus donans aliquid uxori dicit, se rem illam possidere precario nomine uxoris; *l. quod meo. ff. de acquirend. poss.* Item si maritus remittit uxori debitum animo donandi; habet enim hæc remissio vim traditionis; quia fingitur tunc, mulierem solvisse marito, & hunc donasse & tradidisse uxori. Pirh. *h. t. n. 7.* cum Alex. *in c. ult. h. t. num. 6.* juxta *l. cum hic status. §. si sponsus*. Item requiritur, ut donatio non excedat summam 500. aureorum absque insinuatione desuper facta Judici; *l. donationes. c. h. t. Mol. tr. 2. de 7. & 7. d. 289. n. 1.* Clarus *§. donatio. q. 17. n. 3.* quos citat & sequitur Wiestn. *h. t. n. 30.* ita tamen, ut tantum non valeat confirmari morte, quò ad excessum illum, & secus sit quò ad summam legibus permissam, ne utile per inutile vitietur. Sanch. *l. 6. d. 14. n. 25.* Wiestn. *l. c.* Item requiritur, ut non sit revocata expressè vel tacitè; de qua revocatione num facta, dum dubitatur, præsumendum est non factam; juxta *l. cum hic status. ubi: Si in obscuris sit, (num revocata) proclivior esse debet iudex ad comprobendam donationem: nimirum judicando, non esse revocatam.* Reiffenst. *h. t. n. 24.* Wiestn. *n. 29.* Porro revocatio hæc tacita fieri censetur primò per divortium; *l. interim. §. fin. l. cum hic status. §. Si divortium. ff. h. t.* nisi divortium factum mutuo consensu, aut aliunde constaret, velle donantem, non obstat divortio, donationem factam perseverare. *l. à marito. c. h. t. Mol. l. c. n. 12. Sanch. l. 6. d. 15. n. 10. Pirh. num. 6. Reiffenst. n. 22.* Secundò, si donans rem donatam

vendat, permutet, legat, vel donet alteri; aut oppignoret seu specialiter hypothecæ subiciat; *l. cum hic status. §. 5. & 15. l. si maritus.* Mol. Pirh. *ll. cit.* Sanch. *l. c. n. 5.* non tamen censetur revocata per generalem hypothecam omnium bonorum; *cit. l. si maritus.* Sanch. *l. c.* Tertiò si donatarius mores mutasset in præjudicium donantis; v. g. committendo adulterium, aut notabilem ingratitude emerga donantem. Sanch. *l. c. n. 11.* Pirh. *l. c.* Reiffenst. *n. 23.* arg. *c. fin. de donat.* Quartò obortis gravibus inimicitis inter donantem & donatarium. Sanch. *n. 23.* arg. *l. cum hic status.*

3. Tertiò confirmatur per mortem civilem donantis; ut dum in exilium mittitur & civitatem perdit. arg. *l. si mors. ff. h. t. & l. res uxoris. c. eod.* Sanch. *l. 6. d. 17. num. 2.* Sylv. *v. divortium. 2. q. 4.* Pirh. *n. 20.* Reiffenst. *n. 26.* cum communi contra *Gl. in c. licet undique. de off. deleg.* Limitatur tamen hoc ipsum primò, ita ut non firmetur, sed evanescat per servitutum, quâ donans efficitur servus hominis; *l. cum hic status. §. 6.* Sanch. *l. c. n. 4.* Pirh. *n. 20.* Secus tamen, dum efficitur servus pœnæ. V. G. damnatur ad metalla. Reiff. *l. c.* arg. *l. res uxoris. c. h. t. junctâ Gl. v. deducto.* Limitatur secundò per professionem religiosam (quæ & ipsa est mors civilis) in ordine capaci bonorum, ita ut hac non obstante, donans professus eam de consensu superiorum revocare possit, adeoque non firmetur irrevocabiler, usque dum talis professus morte naturali decedat. Castrop. *tr. 32. d. 2. p. 25. §. 3. n. 3.* Sanch. *l. c. n. 9.* Pirh. *n. 20.* Reiffenst. *n. 31.* Contrarium est, seu firmatur professione facta in ordine incapace bonorum, V. G. in ordine Fratrum Minorum S. Francisci, non secus ac per mortem naturalem, quam proinde expectare necesse non est; ita Reiffenst. *n. 30.* cæterique AA. citati *ll. cit.*

TITULUS XXI.

De secundis nuptiis.

Quest. 313. Num licite & honeste sint nuptiæ secundæ.

1. **R**esp. primò: Licitas esse etiam Christianis non tantum secundas nuptias, sed & tertias, quartas, & quotiescunque priore conjuge defuncto iteratas, certa & Catholica est veritas, quam antiquissima & universalis Ecclesiæ consuetudo confirmat; & patet ex illo Apostoli *1. ad Corinth. c. 7. v. 39.* de muliere dicentis: *Si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat.* Quod restringendum non est ad secundum ejus virum, sed intelligendum etiam de tertio, quarto, ac si diceret; quotiescunque vir ejus dormierit; juxta quod habetur ex S. Augustino *c. fin. 31. q. 1.* & expressius ex S. Hieron. relato *c. 1. ead. cans. & q.* his verbis: *Libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia bigamiam, imò nec trigamiam, & ita licere, quinto & sexto & ultra, quomodo secundo viro nubere.* Acceditque ratio; quia ex præcedentibus nuptiis nullum obstat impedimentum, quò minus semper ad ultiores procedere possit. Sanch. *de mat. d. 81. n. 2.*

2. Resp. Secundò: Sunt quoque honestæ, ut sequitur ex priore responso, cum non nisi quod honestum est, permitti & approbari possit ab Ecclesia. Sed neque earum inhonestas, aut deficiens

in eis ratio Sacramenti ex eo inferri potest, quòd Ecclesia secundis nuptiis negat benedictiones; cum negationis iteratæ benedictionis aliæ sint causæ, & inter illas præcipua, quòd in iis deficiat perfecta significatio Sacramenti, nimirum, quòd unionem Christi, cum unica Virgine & intacta sponsa Ecclesia perfectè non repræsentent, & idcirco non eandem, quàm primæ nuptiæ commendationem mereantur. Wiestn. *h. t. n. 3.*

Quest. 314. An saltem secundò nubere ante annum luctus elapsus prohibitum sit à Jure civili sub pœna infamiae, & num idiplum correctum à Jure canonico.

1. **R**esp. ad primum: Viduæ ante annum luctus, computandum à die mortis prioris mariti, complectum infamia ipso jure incurrenda (quavis, ut Castrop. *tr. 28. d. 4. p. 13. §. 2. n. 2.* citato Sanch. *l. 7. d. 87. n. 3.* requiratur sententia declaratoria delicti seu facti, nimirum contractum tempore luctus secundarum nuptiarum) tam ab ipsâ quàm à viro eam ducente, ut Castrop. statuitur à Jure Civili, *l. 1. c. de secund. nupt.* junctâ *Auth. de nupt. §. prime squidem. coll. 4.* traduntque idem Bald. *in cit. l. 1. n. 1. vers. infamis.* & Salicet. *ibid.*

n. 1. notab. 1. idque ad tollendam sanguinis turbationem per secundum matrimonium & patris incertitudinem, dum forte mulier ex priore marito concepit, irrogatâ & ei provenientem hac infamia ex ipso facto, dum taliter festinata nuptiâ mulierem suspectam reddunt de incontinentia, deque admissa cogitatione ante tempus futurarum nuptiarum, nec non de oblivione, irreverentia & ingratitude erga priorem maritum, ut Gonz. *in c. fin. b. t. num. 3.*

2. Resp. ad secundum: Hæc quod ad infamiam incurrendam dispositiones & leges civiles correctæ à Jure Canonico, dum non tantum in eo nulla infamiae fit mentio; sed positivè eam removet, *c. super illa. h. t.* his expressis: *Super illa questione, quâ questum est, an mulier possit sine infamia nubere intra tempus luctus per legem definitum;* respondeo, quòd, cum Apostolus dicat: *Mulier viro suo mortuo soluta est à lege viri sui, in domino nubat, cui voluerit, per licentiam & auctoritatem Apostoli ejus infamia aboletur.* Ac proinde illam infamiam notam in dicta illa incontinentiæ præsumptione vel suspitione consistentem etiam in foro sæculari non observandam, plerique DD. orthodoxi pronunciant, & inhærendum Juri Canonico, cujus Sacros Canones, ut inquit Innoc. *in cit. c. fin.* in his spiritualibus causis (qualis est illa nuptiarum iteratio, sæpe mulieribus viduis propter sexus fragilitatem, eique facile prævalentem vim libidinis ad gravia peccata vitanda propemodum necessaria) leges & Judices sæculares observare non dedignantur. Atque ita ex ea quoque ratione, quòd matrimonia debeant esse libera, quam eorum libertatem quia pœna illa legalis infamiae non parum impedit, ab Ecclesia sublata, non obstantibus imperialibus constitutionibus, cessare debet.

Quest. 315. Quenam sint præterea pœna iure civili statuta secundò nubentibus.

1. Resp. Harum pœnarum quædam statuta in Rodium secundarum nuptiarum, contra reverentiam & gratitudinem priori marito debitam initarum sunt sequentes. Prima, quod uxor viro posteriori de bonis suis ultra tertiam eorum partem in ultima voluntate relinquere nequeat, juxta *l. 1. c. h. t. Gl. ibid. v. testamento. Salicet. n. 4. q. 1. Sanch. l. 7. d. 87. n. 4. Castrop. l. c. §. 3. n. 3.* idque etiam, si nulli essent liberi. Reiffent. *h. t. num. 35.* Unde si instituat virum hæredem suorum bonorum, institutionem quidem validam esse, omnia tamen, excepta tertia parte, restituenda esse hæredibus ab intestato venientibus, censent Gl. & Salicet. *ll. cit.* Institutionem verò validam non esse, nisi quòd ad dictam tertiam partem, docent Bartol. *in cit. l. 1. n. 1. Bald. n. 10.* quod sibi magis placere ait Castrop. *l. c.* non obstante, quòd hac ratione mulier in casu aliquo speciali à lege inducto partim testata partim intestata decedat.

2. Secunda, quòd mulier secundò nubens fiat incapax cujuscumque hæreditatis, legati, fideicommissi & donationis causâ mortis, à quocumque hæc præterquam à marito relinquuntur, adeoque nullum ab ea in illa acquiri dominium, sed hæc omnia ab ejus hæredibus, ab intestato venientibus vindicari jubentur *l. 1. c. h. t.* & ita docent Alberic. *in cit. l. 1. Cynus. ibid. n. 6. q. 8. Salicet. n. 1. Decius n. 10. notab. 8.* quos refert & sequitur Sanch. *l. c. num. 8. Castrop. §. 2. n. 4.* inde cum eodem rectè inferens mulierem secundò nubentem obligatam esse nullâ expectatâ Judicis sententiâ ea sibi relicta aliis hære-

R. P. Lewr. Jur. Can. Lib. IV.

dibus ab intestato restituere. Dicitur autem id de relicta causâ mortis, quia, ut addit *n. 5.* mulierem secundò nubentem, non reddi incapacem donationis inter vivos à quocumque sibi factæ, præterquam à marito, utpote à quo etiam stante matrimonio donata ei non acquiruntur, nisi morte illius confirmata donatione.

3. Tertia, quòd ab intestato consanguineis suis non succedat ultra tertium gradum; *l. 1. c. h. t. & ibi Bald. n. 8. Decius n. 20. Sanch. l. c. n. 15. Castrop. l. c. §. 2. n. 6. Wiestn. h. t. num. 42.* ubi etiam, quòd propterea non succedat fratris filio, cum ei quarto gradu conjuncta sit, secundum Juris civilis computationem, quæ in civilibus & successioneibus observatur. Huc etiam ab aliquibus reducuntur amissiones bonorum omnium à priore marito acceptorum; & quòd secundò marito plus conferre nequeat quam uni filiorum. Verum rectius inter pœnas statutas in favorem filiorum numerantur. De cætero has pœnas etiam de Jure civili non incurrende conjugem, dum primum matrimonium fuit invalidum, uti & si secundum est nullum, etsi primum fuerit validum; quia in his casibus reipsa, non nupsit secundò, asserit Castrop. *l. c. n. 8.* idem dicens, si primum non fuit consummatum, vel secundum tempore luctus consummetur. Sed neque utroque matrimonio valido extendi ad maritum tempore luctus secundò nubentem has pœnas tanquam ferè apud omnes, teste Sanch. *cit. d. 87. n. 20.* certum tradit Castrop. *n. 9. arg. auth. de nupt. coll. 4. §. l. 1. c. h. t. & l. si qua mulier. c. ad Senatus Consult. Tertulianum.* non obstante, quòd dictum de uno correlativo, dicendum quoque de alio correlativo; cum id verum non sit, si in iis sit dispar ratio, uti contingit in præsentem, dum scemini competit lugere viro, ac proinde tempore luctus abstinere à nuptiis; viri autem lugere fœminas non compellantur. *l. uxores. c. de his qui notantur infamia.*

4. Aliæ pœnæ primariò inductæ in favorem filiorum prioris thori, secundò nubentibus etiam extra tempus luctus sunt ferè sequentes. Prima, quòd mulier sive ante, sive post annum luctus, secundò nubens amittat proprietatem omnium bonorum quocumque titulo, sive sponsalium, sive liberalis donationis, sive causâ mortis, puta, institutionis, legati, fideicommissi nomine à priore marito acceptorum, reservatâ eâ proprietate prioris matrimonii sui liberis, retento solùm ad dies vitæ sibi eorum usufructu; pro ut expressè statuitur *l. 3. §. 6. h. t. Castrop. l. c. §. 3. n. 1.* Exceptis tamen iis, quæ titulo sponsalitiæ largitatis accepit; quippe quæ non titulo lucrativo, sed oneroso, nempe remuneratorio conceditur, quæque stante matrimonio uxori acquiritur, adeoque eâ privari nequit, nisi accedente sententiâ criminis. Ita cum Sanch. *l. 7. d. 87. n. 10.* aliisque ab eo relatis Castrop. *l. c. n. 5.* Porrò idem dicendum de marito transeunte ad secundas nuptias, ut nimitum bona præfatis titulis acquisita à conjuge defuncta, procreatis ex ea liberis, quòd ad proprietatem relinquere debeat retento solo usufructu; cum favor liberorum æquè in patre, ac matre procedat. Bart. *in cit. l. 3.* & ibi in fine Baldus. Sanch. *l. 7. d. 89. n. 10. Covar. p. 2. de sponsal. c. 3. §. 9. n. 7.* juxta expressum textum *l. generaliter. pr. §. 1. c. h. t.* quod qualiter subsistat cum eo, quòd ex Castrop. *l. c. §. 2. n. 9.* paulò ante dictum, non video, cum si pœnas illas statutas nubentibus secundò intra tempus luctus, inter quas est illa non-acquisitio relictorum à defuncta conjuge, non incurrat, multò minus videatur incurere illam non-acquisitionem seu necessitatem relinquendi ea liberis, si nubat

nubat post tempus luctus. Nihilominus etiam citra ullam derogationem desuper factam à Jure Canonico excusatur conjux, tam maritus, quam uxor transiens ad secunda vota, tam intra, quam extra tempus luctus ab obligatione reservandi bona sibi à defuncto conjugere relicta, filiis prioris matrimonii in sequentibus casibus. Primo si filius decedens superstitem patrem (idem videtur de matre) instituat heredem, aut legato, vel fideicommissio ea bona reliquerit, is ea non teneatur reservare aliis filiis suis, etiam, dum transit ad secundas nuptias, juxta *Aub. ex testamento, c. de secundis nupt. Aub. de nuptiis, coll. 4.* eò quòd tunc pater ea bona à filio percipiat instar alicujus extranei; extraneus autem institutus hæres, legatarius vel fideicommissarius possidet taliter accepta pleno jure, quò ad proprietatem & usumfructum, sive illa institutio, legatio, fideicommissio ante, sive post initas ab eo nuptias contingat; ita tradunt *Bart. Aub. de nupt. §. hinc nos. n. 1. Gabr. Tom. 3. l. 3. de secund. nupt. concl. 3. num. 26. Sanch. d. 89. n. 41. Gut. de mar. c. 109. n. 49. Castrop. l. c. §. 5. n. 1.* Secundò quo tres filii prioris matrimonii consensum secundis nuptiis præsterint, eò quòd cesset injuria illis per secundas illas nuptias irrogata, in cujus satisfactionem pœna illa reservationis dictorum bonorum inducta; ita cum *Gl. in Aub. de non eligendo secundo nub. v. copulantur. Paris. conf. 29. n. 81. vol. 3. Sanch. l. c. n. 43. Gut. l. c. n. 50. Menoch. conf. 626. n. 1. vol. 7. & alii, quos citat & sequitur Castrop. l. c. num. 2. contra Fachin. l. 3. contr. jur. c. 26.* Hic verò consensus filiorum in secundum parentis conjugium debet esse manifestè approbativus dicti matrimonii, ita ut non sufficiat illos scire, parentem velle secundo nubere, nec contradicant, cum in his, quæ gravis sunt præjudicii, scientia cum taciturnitate, non sit signum sufficiens consensus. *Sanch. l. c. n. 44. Gut. l. c. n. 15. Castrop. n. 4. Fachin. l. c. c. 65. vers. quinta concl. Peregrin. conf. 78. n. 11. §. 17.* Item debet esse omnium filiorum, ut omnibus non præjudicet; unde si aliqui consentiant, alii repugnent, aut habeant se negativè, soli consentientes privabuntur dictorum bonorum proprietate; *Sanch. n. 45. Gut. n. 51. Castrop. n. 5.* filiis verò defunctis sufficit nepotum consensus, utpote qui filiorum personam repræsentantes in jure parentibus suis quæsito succedunt. *Menoch. conf. 155. n. 21. §. 31. vol. 2. Sanch. n. 46. Gut. n. 52. Castrop. l. c.* Item requiritur, ut sit præstitus à filiis puberibus; ita ut impuberes, utpote ignari consilii, insufficientes sint ad hanc cessionem; idque etiam accedente licentia & consensu tutoris, ut *Sanch. n. 47. Gut. l. c. Castrop. n. 6. Garron. rub. de secund. nupt. remed. 2. contra pœnas stat. secundò nubent. n. 121. contra Gabr. tom. 3. comm. opin. tit. de secund. nupt. concl. 1. n. 36.* Puberes verò minores 25. annis, ut firmiter censeantur huic reservationi cedere, debent moveri ad consensum justâ causâ, alias restituendi in integrum. *Menoch. conf. 237. num. 21. l. 3. Fachin. l. c. c. 65. vers. zertia. concl. Gut. n. 53. Castrop. n. 6.* Non tamen requiritur in filio consentiente, ut sciat se consentiendo amittere reservationem dictorum bonorum; idque tam in foro externo, quam interno seu conscientie. *Sanch. n. 47. Gut. n. 56. Castrop. n. 7.* qui etiam *n. seq.* notant, dictum consensum filiorum nihil operari circa pœnas non statutas in favorem filiorum. Tertiò dicta reservatio locum non habet, dum conjux superstes transit, ad secunda vota de consensu conjugis prædefuncti. *Sanch. n. 49. Gut. n. 58. Castrop. n. 9. contra Fachin. l. c. vers. quarto. Sarmient. l. 1. select. interp. c. 4. n. 3.* Idque, ut cit. *AA.* etiam si nubat intra tempus luctus, quia adhuc

absolutè nubet de consensu prioris mariti, & sic impeditur injuria aliis ei, quin & filiis, irroganda per secundum matrimonium; debet hic consensus conjugis esse expressus, aut saltem ex conjecturis certis manifestus; qualis esset, si uxori legatum reliquisset, si secundo nuberet. *Bald. in l. 1. c. de secund. nupt. n. 6. Sanch. n. 52. Gut. n. 6. Castrop. n. 10.* Idque, etiam si nuberet intra tempus luctus, ut idem. Satisque est, ut secundo nubens tempore luctus possit ea bona retinere absque eo, quòd teneatur illa reservare filiis, si defunctus testatus sit, se ea donasse illi titulo oneroso. *Sanch. n. 57. Gut. n. 65. Castrop. n. 11.* Quartò si nubat secundo ex privilegio principis; eò quòd, si dictam reservationem faciendam filiis non tollat, nihil operaretur hoc privilegium; cum, ut *seq. quast.* dicitur, pœna statuta secundo nubentibus sint abrogata; ita *Gl. in l. solet. ff. de his qui not. infam. v. liceat. Decius in l. 1. c. h. t. n. 10. Boer. decis. 185. n. 25. Sanch. l. c. n. 60. Gut. n. 68. Castrop. n. 14. & alii ab eo citati.* Non tamen à dicta reservatione conjux secundo nubens excusatur ratione minoris ætatis eò, quòd de hac excusatione nihil in Jure habeatur; minorque ætas nihil operetur, dum agitur de lucro captando, sed solum, dum agitur de vitando damno. Ac ita probabilius sentiunt *Sanch. n. 58. Gut. num. 66. Castrop. n. 12. Fachin. l. c. c. 69. in fine. contra Gabr. l. c. n. 46. Villalob. in erar. comm. opin. Lit. B. n. 50. Boerium decis. 185. in fin. &c.* Neque excusatur ab ea mater succedens in bonis paternis filio defuncto post pupillarem ætatem, ut probabilius contra quosdam alios tenent *Sanch. n. 59. Gut. n. 67. Castrop. n. 13.* citatis Azebedo & Cifuentes; alios casus excusantes à dicta reservatione vide apud *Gutier.*

3. Tertia pœna cedens in favorem filiorum est, quòd vir vel mulier quocunque tempore transiens ad secundas nuptias ex bonis suis nullo titulo, sive dotis, sive donationis propter nuptias, sive, ut expressè *Reiffenst. n. 38.* sponsalitiæ largitatis, sive ultimæ voluntatis, in secundum virum plus conferre possit, quam uni ex liberis prioris matrimonii; & quidem, si inæqualis divisio facta est inter liberos. *V. G.* uni collati 300. alteri 200. tertio 100. plus marito conferre nequeat, quam in illum contulit, qui minus accepit. *V. G. 100;* ne infano amore novi mariti capta, plerasque facultates suas in eum effundat, non sine gravi præjudicio filiorum suorum. *Sanch. l. 7. d. 88. n. 3. Alex. de Nevo in c. fin. h. t. Cast. l. c. §. 3. n. 2. Wiestn. h. t. n. 33. Reiff. l. c. dicens comunem & certam, pro ut statuitur l. hac editali. in princ. & l. apertissime. c. h. t.*

4. Quarta est amissio tutelæ liberorum prioris thori, si eam habeat; *l. fin. c. quando mul. off. tut. Aub. ut sine prohibitione. §. unic. coll. 7. & quidem, ut marito secundo mortuo eam non recuperet. Tiraq. de cessant. caus. limit. 12. n. 8. Perez. in cit. l. quando mul. n. 23. Wiestn. n. 34.* Idem est de curatela eorum; cum quod dispositum de tutela, idem de curatela dispositum censeatur; *l. quòd si no. lit. §. quod in procuratore. ff. de adlit. edit. Gl. in Aub. mater. c. quand. mul. Decius in c. ex part. m. de appell. Sanch. l. c. d. 88. n. 11. relatis aliis. Castrop. l. c. §. n. 3.* Amittitur autem tutela non per sponsalia de futuro; quia hæc non sunt nuptiæ. *Sanch. l. c. n. 8. Menoch. de arb. cas. 151. n. 7. Castrop. l. c.* Neque per matrimonium secundum ratum tantum, ut *Castrop. num. 4. contra Sanch. l. c. Alex. in c. fin. h. t. n. 10. Gabr. Tom. 3. comm. opin. l. 9. tit. de secund. nupt. concl. 9. num. 13. Baldum & alios;* ex ea ratione, quòd textus Juris statuentes hanc pœnam loquantur de nuptiis, quales propriè non sunt; quousque matrimonium consummatum sit,

fit, & sic constitutum in esse suo perfecto, ut Menoch. l. c. n. 8. Gozadin. conf. 18. n. 8. Nerizan. l. 2. Sylva nupt. n. 50. Amittitur autem ipso jure, ita ut mater, quamprimum contraxit secundas nuptias, (intellige secundum jam dicta, matrimonio consummato) in conscientia obligetur abstinere à tutela citra omnem Judicis sententiam; eò quòd matri concessa censenda sit tutela sub conditione, ne ad secunda vota transeat; arg. l. fin. c. quando mulier. vi cuius in susceptione tutelæ præstare tenetur juramentum abstinendi à nuptiis; tutor autem datus sub conditione, si ei non pareat, cesset juxta l. tutor datus ff. de testamentar. tut. & ita docent Sanch. cit. d. 88. n. 10. Nav. c. 25. n. 67. Castrop. num. 5. Extenditurque hoc ipsum de tutela amittenda ipso facto, quando maritus in testamento absolute & simpliciter uxorem reliquit tutricem. Gut. de tut. l. p. c. 9. n. 16. Molin. de primog. l. 1. c. 9. num. 46. Sanch. l. c. Matienzo, Gomez & alii, quos citat & sequitur Castrop. l. c. n. 6. arg. auth. de nupt. coll. 4. §. in autem. ex ea ratione, quòd nubens ante annum luctus completum sit incapax tutelæ, cui cit. auth. æqualem facit, qui simpliciter nubit secundo. Quòdque textus excludentes matrem à tutela loquantur indistinctè de tutela legitima & testamentaria, ac præcipuè, dum in utraque tutela par est ratio, nempe suspicio malæ administrationis & dissipationis bonorum ob secundi mariti affectum, id tamen operatur designatio illa testamentaria à marito facta; ut mulier obligata non sit satisfacere, juxta Inst. de satisfac. tut. in pr. eò quòd ejus fides à parente filiorum fuerit approbata. Contrarium tamen esse, seu non amitti tutelam, si maritus eam relinquens uxori, expressè addat: esto ad secunda vota transeat, tenent apud Castrop. cit. §. 3. n. 7. Baldus in c. ex parte. m. de appell. n. 2. Nevilanz. l. c. Matienz. l. 5. recapit. tit. 1. l. 3. Gl. 2. n. 9. Sanch. cit. d. 88. n. 9. ex ea ratione, quòd maritus ea designatione qualificata videatur omnem suspensionem malæ administrationis ab uxore removisse. Unde etiam censet Sanch. in hoc casu nequidem Judicis officio posse eam à tutela repelli; quòd licet valde probabile dicat Castrop. contrarium tamen probabilius censet cum Ruino. conf. 87. n. 10. vol. 5. eò quòd dicta suspicio & præsumptio fundata in frequente contingentiā malæ & iniquæ administrationis tutelæ à matribus susceptæ ob affectum secundi mariti, non possit illa designatione prioris mariti purgari; adeoque leges inhibentes tutelam matribus vim suam & efficaciam retineant pro omni casu, etsi hic & nunc in singulari casu maritus suspensionem illam de uxore sua purgaret dicta designatione sua; his non obstantibus, quòd extranei ob similem suspensionem à tutela non removeantur; cum extraneo non interdicitur tutela à lege sicut matri transeunti ad secunda vota, quia major de illa est suspicio malæ administrationis ob amorem secundi mariti, De cætero dicta amissio tutelæ non extendit se ad patrem transeuntem ad secunda vota, dum nimirum is eam alias habere potest filiorum emancipatorum, non tamen existentium sub patria potestate, quibus hac durante non datur tutor; cum pater etiam post secunda vota retineat unā cum usufructu legitimam administrationem bonorum maternorum iis competentem, juxta l. generaliter in fine. c. h. t. ac ita contra Ripam in l. fin. c. de revocand. donat. q. 26. Cassan. de consuetud. Burgund. Rub. 6. §. 8. n. 2. & c. docent probabilius Sanch. l. 7. d. 88. n. 12. Castrop. l. c. n. 8. Reiffenst. h. t. n. 39. ex ea ratione, quòd jura loquantur de sola matre, & nullibi in eis cautum, patrem quoque amittere

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. IV.

tutelam ob secundum conjugium; & leges penales non extendendæ de uno casu ad alium, præsertim ubi ratio dispar est, uti est in præsentibus, dum etiam patres quoque ob affectum, erga novam conjugem videri possent malè administraturi tutelam liberorum prioris thori, in contrarium tamen ob eorum majorem prudentiam & judicium præsumantur rectè, non tam facile ob novum conjugium perdituri amorem filiorum quàm matres, utpote levioris ingenii; arg. l. lex qua. c. de administ. tutor.

5. Quinta quasi pœna juxta probabilior est, quòd mater, cui aliàs (nisi consuetudo aut statutum loci, aut mores matris minus probati exigant aliud) educatio liberorum convenientissimè committitur juxta l. 1. c. ubi pupilli educari. deb. ubi dicitur: *Educatio pupillorum tuorum nulli magis quàm matri eorum, si non vitricum eis induxit, committenda est.* & Novell. 22. c. 38. ubi: *Mater fide dignior ad filiorum educationem videbatur, dat etiam hoc ei lex, nisi ad secundas accesserit nuptias;* transiens tamen ad secunda vota, seu superinducto liberis vitrico, eam amittat, ita etiam, ut Judex eam illi permittere nequeat; ita contra Mol. Tom. 1. de Just. d. 224. n. 12. & Sanch. cit. d. 88. n. 17. (quatenus censent, matrem secundo nubentem non privari ea educatione, sed venire privandam à Judice, nisi fortè probaverit, illam & vitricum esse eorum morum & honestatis, ut tollat omnem suspensionem malæ educationis, in quo casu teneatur Judex illi educationem permittere, ita ut remittatur Judicis arbitrio, penes quem oborta desuper lite inter matrem, cognatos & tutores, ubi educandus filius) docent Gl. in Auth. ut liceat matri & avia. §. illud quoque. coll. 8. v. non venerit. Ruin. conf. 87. in fin. vol. 5. Menoch. de arb. cas. 168. n. 10. Matienz. l. c. n. 8. Spino in specul. testam. gl. 29. p. 2. n. 13. Castrop. l. c. n. 14. cum aliis relatis à Sanch. n. 16. arg. citatorum textuum, ex quibus manifestè probatur à contrario, illam privari, si transierit ad secunda vota, seu vitricum induxerit. Idque etiam non expectato Judicis arbitrio; cum, dum in cit. l. 1. additur; orta lite inter matrem & cognatos ad eundem provinciæ præsidem, non intelligatur mater transiens ad secunda vota, sed mater vidua, ut persuadent verba præcedentia: *Si vitricum induxerit.* quia mater hunc inducere nequit, nisi vidua, ut probant aliis relatis Roland. conf. 79. n. 54. vol. 3. Menoch. conf. 390. n. 13. vol. 4. Confirmaturque hæc sententia quoque ex eo, quòd si mater nubens secundo ob secundas nuptias suspecta reddatur de tutela seu administratione mala bonorum pupilli, & ideo ab ea ipso jure exclusa censetur; quin & lex ob præsumptionem talem juris & de jure (ad quam gignendam satis est viri noviamor, ut arg. Auth. sed jam necesse. c. de donat. ante nuptias. Gl. in Auth. de equal. dotis. coll. 7. §. aliud quoque. v. privilegium. Sanch. l. 7. d. 37. n. 8. Castrop. cit. n. 14. in fin.) excludat omnem probationem, ut Abb. in c. quanto. de præsump. n. 2. Felin. ibid. n. 3. Covar. 4. decret. 1. p. c. 4. §. 1. num. 2. Menoch. l. 4. præsump. q. 31. n. 12. Mascard. de probat. concl. 1218. n. 4. à fortiore id dicendum de educatione, cum majorem fiduciam exigat educatio personæ, quàm administratio bonorum illius. Vide de his fusiùs Castrop. l. c. qui tamen ibidem addit cum Sanch. d. 88. n. 21. hanc privationem educationis, quam jura statuunt officio Judicis faciendam, ita ut mater secundo nubens educationem pupillorum retinere valeat, usque dum eà à Judice privetur. De cætero tutelam cum educatione concedi potest vitrico, utpote, qui non sicut mater ob levitatem suspectus est;

Y 2

adco-

adeoque ob præsumptionem juris ab ea non exclusus, Castrop. n. 15. Sed neque hæc privatio educationis extendenda ad patrem, utpote cui plus in hoc genere jura fidunt quam matri. Castrop. n. 16. Spino. l. c. num. 14. Sanch. 88. num. 20. cum ferè communi.

6. Sexta est, quòd uxor secundo nubens amittat privilegia honoris & immunitatis prioris mariti (quibus fruebatur, dum ei nupta, & quamdiu vidua manebat, ut AA. communiter in l. ult. de bonis maternis. l. femina. ff. de Senatorib. l. filii. vers. vidua. ff. ad municipal. Castrop. l. c. n. 24. ac præcipue Tiraq. de nobilit. c. 18. n. 9.) gaudeatque privilegiis posterioris mariti, si quæ habet. Auth. de nuptiis. coll. 4. §. non tamen permittimus. & l. mulieres. c. de dignitat.

7. Septima secundum Spino. in specul. testam. Gl. 28. n. 35. Benedict. in c. Raynuius. de testam. n. 203. v. qui cum alia. & alii, quos refert Sanch. d. 88. n. 14. est amissio executionis testamenti prioris mariti, dum ea illi ab eo commissa. Contrarium communiùs tenent, & omnino tenendum, ait Castrop. l. c. n. 10. cum Covar. in c. eua. de testament. n. 3. Sanch. l. c. referente plures alios; eò quòd id nullibi in jure cautum. Neque etiam ex amissione tutelæ ob secundas nuptias rectè infertur hæc amissio executionis, sicut nec illius concessio ex concessione tutelæ juxta l. cum pater. §. hereditatem. ff. de leg. juncta l. si arrogat. ff. de tutelis. ex ea quoque ratione, quòd tutela matri concessa ex lege in favorem filiorum; executio verò testamenti concessa à marito in nullius in particulari commodum.

8. Octava, quod donationem filio factam revocare nequeat ratione ingratitudinis; quia præsumitur, non ob ingratitudinem filii, sed, ut placeat marito, id facere; ut dicitur in Auth. quod mater. de revocand. donat. & habetur l. 7. c. eod. Exceptis tamen tribus casibus, in quibus transiens ad secunda vota id potest; nimirum si filius insidiatus vitæ matris. Si manus impias in eam injecerit. Si jacturam totius substantiæ molitus fuerit. Nequam tamen extenditur hæc pœna ad patrem secundo nubentem; quia id nullibi cavetur, & non præsumitur ob amorem novæ uxoris animum erga filium tam facilè mutaturus, sicuti præsumitur de matre ob ei innatam inconstantiam & levitatem; ita Gl. in auth. mater. de nupt. v. nistamen. Sanch. d. 88. n. 35. Castrop. cit. §. 3. n. 26.

9. Nona secundum aliquos est amissio tacitæ hypothecæ & juris prælationis, ratione dotis, quam & quod habet vidua in bonis mariti defuncti juxta l. assiduis. ff. qui priores in pignore; quòd tamen rectius negant Sanch. l. c. n. 34. Castrop. n. 27. eò quòd, ut inquirunt, esto, hoc privilegium concedatur fœminis, ut faciliùs nubere possint, contractis tamen nuptiis, eoque acquisito semper illud retinent, sive secundo nubant, sive non; quia jam à contractis nuptiis non dependet, præterquam, quòd hæc amissio nullo jure inducta inveniat.

10. Decima, est obligatio reddendi rationes, quam mater administrans bona filii subit contrahendo secundas nuptias, ob quas suspecta redditur, à qua obligatione eximebatur in statu viduitatis, juxta l. quamvis. ff. de condit. & demonstr. ac ita tenent Baldus in l. cum oportet. §. fin. c. de bonis qua liberis. Castrop. n. 29. cum Sanch. aliisque ab eo relatis; l. c. n. 36. ubi etiam addit, dictæ amissioni locum esse, etiamsi à marito constituta esset tutrix filiorum, & reddendis rationibus relevata; cum non

enseatur sic relevata in præjudicium filiorum, nisi hoc ipsum fuerit expressum.

11. Undecima est pœna, sub qua conjuges se mutuo obstrinxerunt non nubendi secundo; qualiter se mutuo obligare posse conjuges, & quam pœnam subeundi obligationem invalidam non esse, tenent Sanch. l. c. n. 37. Castrop. n. 30. cum nullo jure interdicitur; & licet l. quoties. ff. de condit. & demonstr. conditionem & stipulationem appositam abstinendi à nuptiis rejiciat; & l. adigere. ff. de jure pat. remittat juramentum de nubendo; nullatenus tamen exinde inferri potest dicta invaliditas; cum citati textus tantum intelligendi sint de abstinentia à primis nuptiis, juxta Auth. cui relictum. c. de inacta viduata.

Plures aliàs similes pœnas recensitas ab aliis prætereo; quia communiùs & rectius à jure inductæ negantur; inter quas est amissio potestatis exemplariter substituendi filio mente capto, imuto, prodigo, cui interdictum bonis, alias ob pietatem, quam filiis debet mater, eidem concessæ; cum ea pietas & humanitas cesset matre transeunte ad secundas nuptias, utpote jam factâ novercâ & inimicâ filiorum prioris thori, ut præsumitur. Quam pœnam tamen seu privationem dictæ potestatis, quia nullibi in jure statuta ob secundas nuptias, negant Sanch. l. c. n. 24. Castrop. n. 19. qui tamen etiam ipse n. 21. cum Sanch. n. 25. censet, stante prioris sententia, substitutionem factam à matre vidua transeunte ad secunda vota non evanescere. Vide eosdem.

Quæst. 316. Num pœna enumerata quæst. præced. à jure canonico irritata & sublata sint?

1. Resp. primò: Pœnæ illæ, quæ præter infamiam inductæ principaliter ob præpropetram reiterationem matrimonii intra annum luctus, sublatae sunt per Jus Canonicum non secus ac infamia obeandem rationem, nimirum tum ut libertati matrimonii, à quo abstinere compellit metus dictarum pœnarum, consuleretur; tum ut periculum peccandi in viduis gravibus sæpe tentationibus carnis vexatis evitaretur. Quæ ratio id sufficienter evincit, etsi aliàs de abolitione harum pœnarum, sicut de infamia, nulla expressè in Jure Canonico fiat mentio; ita Covar. in 4. decret. 2. p. c. 3. §. 9. n. 5. Gut. de mat. c. 208. n. 23. Sanch. l. 7. d. 87. n. 23. citatis quam plurimis. Castrop. l. c. §. 2. n. 10. dicens verissimam & communissimam. Wiestn. h. t. n. 45. Pich. n. 8. contrarium tenentibus Cyno in l. 1. h. t. in fine. Bald. ibidem. n. 7. Mancin. l. 2. genial. c. 140. Oliva fori eccles. p. 1. q. 42. n. 10. & 33. Barb. in c. fin. h. t. n. 5. Gentil. de secund. nuptiis. n. 18. Sublatæque sunt hæc pœnæ non tantum, quòd ad forum ecclesiasticum, sed & quòd ad forum sæculare, ne, si in hoc observanda, earum metu adhuc detineretur vidua à contrahendo matrimonio, adeoque libertati matrimonii non satis consultum; ita cum Gl. in c. fin. h. t. Jo-And. n. 5. Alex. n. 12. Surdus de alim. tit. 7. q. 22. Gut. l. c. n. 8. Sanch. l. c. n. 27. Castrop. n. 11. Atque ita vidua secundo nubens capax est cujuscunque hæreditatis, legati, donationis causâ mortis relictae tam ab extraneo, quam à marito. Gut. n. 5. Sanch. n. 25. Castrop. n. 12. Item secundo nubens intra annum non tenetur medietatem bonorum suorum concedere liberis prioris thori, tanquam pœnam inductam in odium festinationis nuptiarum. vi l. si qua mulier. c. ad Senatus Consult. Tertull. Gut. n. 9. Sanch. n. 28. Castrop. l. c.

2. Resp.

2. Resp. Secundò: Cætera pœnæ statuta principaliter in favorem filiorum non sunt jure canonico sublata, sed pro utroque foro in suo vigore persistunt. Innoc. in c. *fin. h. t.* Host. *ibid.* n. 3. Jo-And. n. 5. Anchoran. n. 9. Barb. n. 3. Gutt. l. c. à n. 21. Sarmien. L. 1. *Selectar. interpret. c. & n.* 40. Sanch. l. c. d. 88. n. 39. Oliv. l. c. g. 43. n. 22. Castrop. n. 31. Pirh. b. t. n. 9. Haunol. de 7. & 7. Tom. 1. r. 4. n. 504. Wiestn. b. t. n. 37. contra Abb. in c. *Ecclesia. de const.* n. 15. Felin. *ibid.* n. 36. declarat. 1. deci. n. 125. eò quòd legibus inducentibus has pœnas nullo textu juris canonici sit derogatum; neque expressè; quin potius approbatæ. Arg. c. *ex parte. de appell.* ubi constituta secundò nubentibus *cit. c. matres.* amissio tutelæ apertè est approbata, ut *ibid.* notant Barb. & Gonz. nec tacitè; cum pro earum abrogatione non militet eadem ratio, quæ pro abrogatione aliarum pœnarum, cum non sint pœnæ propriæ tales ob secundas nuptias impositæ, sed dispositiones quædam legales maximè æquitati & juri naturali consentaneæ à legitima potestate inductæ in favorem liberorum primi mariti, quibus aliàs secundæ nuptiæ solent esse damnosæ & infastæ, ut Sanch. l. c. n. 39. Gutt. n. 20. & 22. Castrop. n. 31. cum Covar. Gabr. Matienzo à se citatis. De quibus proinde rationabiliter conquiri nequit pater aut mater, quòd inde tollatur libertas ad nubendum.

Quest. 317. An igitur etiam jure canonico correctum sit, quod statuitur Auth. cui relictum. c. viduit. & Auth. de nuptiis. §. quæ verò coll. 4. ut legatum à conjuge vel extraneo sub conditione, ne secundò nubat, peti nequeat intra annum luctus.

Resp. Cum Sanch. l. c. d. 87. n. 19. Gutt. l. e. à n. 10. Castrop. n. 14. negativè; eò quòd nullam pœnam contineat, sed dispositionem voluntati testatoris maximè faventem, dum detentione legati per annum, quòd alias statim solvendum, legatarii voluntas implendi conditionem hanc, seu abstinendi per annum à secundis nuptiis, cognoscatur.

Quest. 318. Num jure canonico abrogatum, quòd aliàs denegatur viduæ transcurrenti ad secundas nuptias intra annum luctus, præstatio alimentorum.

Resp. Cum iisdem Castrop. l. c. n. 15. *vers. dubium est.* Gutt. n. 18. Sanch. n. 30. Cucho. L. 5. *Inst. Maj. tit. 12. n.* 190. præstanda adhuc viduæ pauperi transeundi ad secunda vota alimenta ab hæredibus prioris mariti, eò quòd ea negari non possint in odium præpropterea nuptiarum secundarum tempore luctus; cum ea debeantur à secundo marito, à qua obligatione dum is liberatur, si pauper est, hæredes prioris mariti, dum dotem non restituant (quam consistentem in rebus immobilibus statim; consistentem verò in mobilibus & incorporalibus non nisi post annum à morte mariti extrudere tenentur, juxta L. *unic. c. de rei uxorie act. §. ex actio.* exceptis tribus casibus, in quibus ea consistentes in rebus mobilibus statim à morte mariti extradi debent, de quibus vide Castrop. *cit. n.* 15.) ab alimentis præstandis desistere non debent AA. citati. Porro si hæredes teneantur præstare alimenta viduæ superstiti, teneri quoque suppeditare vestes lugubres; quia ad alimenta reducuntur; ita etiam, ut dum de consuetudine contraria non

constat, transiens ad secundas nuptias eas, si ve viles sint, si ve pretiosæ, ut volunt alii, restituere non teneatur, probabilius credit Castrop. n. 16. Sed neque, ut Idem, si hæredes eas sine obligatione concesserint; eum concessæ non censeantur sub conditione non transeundi ad secundas nuptias. Quid verò sit de obligatione restituendi lectum viduæ post transitum illius ad secundas nuptias; vide pluribus apud Castrop. l. c. à n. 17.

Quest. 319. Num vidua incidens in fornicationem incurrat pœnas statutas secundò nubentibus.

Resp. Vidua intra annum luctus committens fornicationem incidit in omnes pœnas jure civili statutas secundò nubentibus tempore luctus. *Auth. de restit. & ea que parit §. fin.* ubi & ratio additur his verbis: *non enim aliquid amplius habet castitate luxuria;* & licet hæc pœnæ jure canonico abolitæ sint respectu secundò nubentium, non tamen quatenus afficiunt viduam fornicantem ex ea ratione, quòd hæc pœnæ abolerentur, ne metu earum secundæ nuptiæ, quæ licitæ sunt, impediantur, quòd non procedit in fornicatione omni jure illicita. Atque ita, ut certum ex omnium sententia contra unum Corneum tradit Sanch. L. 7. d. 90. n. 1. & cum eo Gutt. de *mat. c.* 110. n. 1. Castrop. r. 28. d. 4. p. 13. §. 6. n. 1. Sufficit autem ad has pœnas incurrendas unica fornicatio, absque eo quòd, ut volunt alii, requiratur consuetudo fornicandi; ita, ut videtur, verius tenent Covar. in 4. *decret.* 2. p. c. 7. §. 6. n. 12. in *fin.* Acosta in c. *si pater. de testam.* in 6. v. *legavit.* n. 40. Barb. in L. 2. ff. *solutio maritim.* p. 1. n. 67. Sanch. L. 7. d. 90. n. 2. & alii, quos citat & sequitur Castrop. l. c. Arg. *cit. Auth.* quæ pœnis omnibus secundò nubentium afficit viduam parientem non ex priore matrimonio, adeoque ex fornicatione; partus autem ex unica fornicatione provenire possit. Non tamen has pœnas incurrere viduam fornicantem extra tempus luctus probabilius censent Sanch. l. c. n. 5. Castrop. l. c. n. 2. eò quòd *cit. Auth. §. fin.* has pœnas indicens viduis fornicantibus, expressè solum loquatur de fornicantibus intra tempus luctus, sitque fornicatio extra tempus luctus minus gravis, minusque viro probrosa. Neque incurrere has pœnas viduam fornicantem intra tempus luctus ante omnem sententiam Judicis, ita ut nullâ expectatâ sententiâ teneatur in conscientia liberis prioris thori omnia, quæ à priori marito accepit, aut alias titulo lucrofo acquisivit restituere, tutelamque & educationem dimittere; sed tunc demum, ubi accesserit sententia declaratoria criminis, esto ipso jure privetur illis; cum hæc privatio statuatur in delicti pœnam, quæ necessariò requirit sententiam declaratoriam delicti, docent rectius Sanch. l. c. n. 11. Gutt. *cit. c.* 110. n. 17. Castrop. l. c. n. 6. 7. & 10. Porro extendi quoque dictas pœnas ad virum viduum intra tempus luctus fornicantem & luxuriosè viventem, contra Pinell. in L. *ult. c. de bonis matern.* n. 19. & Gutt. l. c. n. 13. tenet Castrop. l. c. n. 9. citatis pluribus ex ea ratione, quòd dictæ pœnæ v. g. illa bonorum restitutio, seu reservatio facienda liberis vel hæredibus repræsentantibus defunctum sancita sit in satisfactionem injuriæ illatæ conjugi defuncto per fornicationem tempore luctus commissam non secus, ac commissam ob secundas nuptias eo tempore initas; adeoque sicut ob illas initas si ve à viro, si ve à muliere, ita incurratur ob dictam fornicationem commissam, si ve à viro viduo, si ve à femina vidua.

Quaest. 320. An dubius de morte conjugis transire possit ad secundas nuptias.

REsp. Negativè: Sic expressè deciditur. *c. dominus h. t. ubi: nullus ad secundas nuptias transire praesumat, nisi prius ei constet de morte conjugis ejus.* & ratio est manifesta; quia contractus novi matrimonii cedit in gravissimum praedictum conjugis prioris, si forte adhuc superstes, quique in casu dubio jure suo spoliandus non est; superstes autem, & vivere praesumendus est, quamdiu probatum non est contrarium, ut constat ex *L. ult. c. de SS. Ecclesiis*: contra mors, cum sit quid facti, non praesumitur, sed debet probari ab allegante. *Sanch. L. 2. d. 46. n. 1.* cumque in secundo matrimonio contrahendo sit periculum nullitatis & adulterii; in abstinendo verò nullum, hoc praeligendum est, quamdiu certitudo mortis conjugis non adest. *Pirh. ad tit. de sponsal. n. 132.* & generatim loquendo, quando constat de certa obligatione ad aliquid faciendum, non autem constat de deobligatione seu liberatione ab obligatione, tunc non licet ab obligatione recedere; quia ea est in possessione tanquam certum, & solum dubitatur de cessatione; in praesente casu constat de obligatione prioris matrimonii, non autem de illius solutione; quia non constat de morte prioris conjugis; adeoque in hoc dubio pars tutior eligenda, & judicandum, quod adhuc obliget prius matrimonium. Estque haec sententia communis & certa, juxta *c. in praesentia. de sponsal.* ubi DD. omnes; & quo textu corrigitur jus civile, nimirum *L. uxores. ff. de divort.* quae uxori dubitanti de morte conjugis absentis concedit licentiam nubendi post expectatum quinquennium, vel etiam, ut habetur *L. uxor. c. de repudis.* post quadriennium.

Quaest. 321. An & qualiter stante dubio de morte prioris conjugis contrahens de facto matrimonium possit petere & reddere debitum, & an tale matrimonium remanente dubio dissolvendum.

1. **R**Esp. Ad primum: Qui stante dubio, adeoque mala fide transiit ad secundas nuptias (idem est de eo, qui bona fide iniiit matrimonium, & deinde dubitare incipit de morte prioris conjugis) non potest petere debitum; cum nemo uti possit re, de qua dubitat, an sit sua; & qui dubitat, an sit legitimus conjug, exigendo debitum cum tali dubio, facit contra propriam conscientiam, quam habet ex probabili causa, *c. inquisitioni. de sent. excom.* Tenetur tamen reddere debitum ei, qui bona fide contraxit matrimonium; cum is iusta sua possessione privari non debeat ob malam fidem alterius, quamdiu non constat, matrimonium suum esse nullum; nemo enim sine sua culpa privari debet jure suo. *c. discretionem. de eo, qui cognov. consang.* *Pirh. h. t. n. 3.* juxta expressum textum. *cit. c. dominus. ubi: si aliquis seu aliqua de morte prioris conjugis dubitet, ei, quae sibi nupsit, non denegat debitum postulant, sed ipse nullatenus illud exigat.* Quod si uterque mala fide contraxit secundum matrimonium, neuter potest petere aut reddere debitum ob possessionem malae fidei: sequitur ex dictis, *Sanch. L. 2. de mat. d. 42. n. 8.*

2. **R**esp. Ad secundum: Matrimonium secundum contractum cum tali dubio ex parte unius non statim est dissolvendum, quia in *cit. c. dominus.* dicitur, dubitantem teneri reddere debitum, quae reditio est actus matrimonii, quem exercere non pos-

set, si matrimonium esset statim dissolvendum. Neque etiam, dum matrimonium secundum contractum cum dicto dubio ex parte utriusque, seu dubitante utroque; dum enim de valore matrimonii, etsi mala fide contracti dubitatur, standum adhuc pro possessione & valore matrimonii, quamdiu non constat de contrario, tamen si possessio illa contrahentium juris utendi matrimonio sit instructuola.

Quaest. 322. Num eadem certitudo de morte conjugis requiratur, ut quis propria auctoritate, aut iudicis permittentis auctoritate transeat ad secundas nuptias.

REsp. Eadem certitudo requiritur, siue propria, siue iudicis auctoritate qui contrahat secundas nuptias, ut probabilis sentiunt *Castrop. tr. 28. d. 4. p. 13. §. 1. n. 3.* & quos citat *Gl. in c. in praesentia. de sponsal. in fine.* *Covat. 4. decret. 2. p. c. 7. §. 3. n. 3.* *Malfcard. de prob. concl. 104. n. 4.* *Sanch. L. 2. d. 46. n. 6.* *Gut. & c.* contra alios relatos à *Sanch. n. 5.* censentes ad contrahendum matrimonium propria auctoritate sufficere verisimilem probabilitatem; ad contrahendum auctoritate iudicis requiri plus seu majorem certitudinem; pro ratione responsionis dant, quod textus *c. in praesentia.* aequè de utroque casu loquatur, dum dicit: *non possunt tales ad aliorum consortium convolare, nec permittas eos auctoritate Ecclesiae contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte conjugis:* adeoque certus nuncius requiritur, tam ut Ecclesia permittat eos contrahere, quam ut ipsi contrahere possint.

Quaest. 323. Qualis igitur & quanta ad hoc requiratur certitudo.

REsp. Requiritur certitudo moralis, & non sufficit iudicium probabile, seu moralis probabilitas; ita *AA. cit. respon. ad quaest. praecedentem.* ea siquidem, quae generant iudicium solum probabile de morte conjugis insufficientia sunt, ut is jure suo, quod habet, ne se superstiti superinducatur alius conjug, & possessione privetur; licet enim ad agendum prudenter in iis, quae in nullius cedunt praedictum, sufficiat iudicium probabile, non tamen in iis, quae juri alterius praedictum. *Castrop. l. c.* Neque obstat *c. quoniam ut lite non contest.* ubi dicitur: *Si de carnali conjugio sit agendum, tamdiu alteruter expectetur, donec de obitu illius verisimiliter praesumatur.* uti nec *c. cum per bellicam. 34. q. 2.* ubi dicitur: *nec tamen culpabilis iudicetur, qui personam ejus mariti, qui jam non esse existimabatur, assumpsit &c.* nam per eostextus exigitur existimatio & verisimilitudo non qualiscunque, sed moraliter certa, ut *AA. iidem.* Notandum tamen, quod habet *Krimer. de mat. n. 1845.* ubi: videtur omnino dicendum, in contrahente non tantum ut securus sit in foro externo, sed etiam in foro interno, requiri, quod procedat ex probabilitate prevalente adversus fundamenta, quae sunt in oppositum pro alterius conjugis superstitis vita; nam tali casu & iudex contractum permittere potest, cum in casu dubio tangente praedictum tertii sequatur, quod probabile est. Notandum quoque, quod ait *Pirh. ad tit. de sponsal. n. 135.* ubi valde probabilis est sententia, quod conjug, si habeat verisimilem praesumptionem & valde probabilem, etsi non omnino certam (subintelligendum videtur *moraliter*) causam credendi, alterum conjugem esse mortuum, licet possit ad secundas nuptias transire. idque confessarius in foro poenitentiae permittere poterit; & paulò post:

post: In tali casu tamen, quando adest solum præsumptio probabilis ex indicis & conjecturis, non autem indubitata certitudo, Judex ecclesiasticus in foro externo concedere licentiam transeundi ad secundas nuptias; idque confirmat constans Confistoriorum Episcopaliū praxis & communissima D.Dm. sententia, à qua in causâ tam ardua, qualis est matrimonialis, recedere, non licet. Porro quæ præstent certitudinem moralem, prudentis arbitrio relinquendum spectatis circumstantiis. Gutt. Sanch. LL. cit. Castrop. n. 4. De cætero sufficit talis certitudo moralis; cum in omni genere humanarum actionum & rerum ea sufficiat, & vix major haberi potest, ac proinde prætereà alia diligentia adhibenda non est, ut constat ex cit. c. in præsentia. Unde & per hoc correctum est jus civile, dum *Ant. hodie. c. de repudiis.* uxori audienti, virum in bello obiisse, interdicitur nuptiæ, quin prius ad eam belli ducem per se vel alium, ipseque juret obiisse, & aliorum testimonia recipiat, & insuper expectet per annum.

Quest. 324. An & qualiter fama præstet hanc certitudinem moralem.

REsp. Fama præcisè secundum se non præstat moralem certitudinem, utpote orta ab incerto auctore & sæpe fallaci. Pith. *ad tit. de spons. n. 134.* Laym. L. 3. c. 3. n. 1. Castrop. l. c. n. 8. juxta c. *vestra. de cohabit. Clericor.* adeoque fama præcisè de morte conjugis est insufficientis ad ineundum aliud matrimonium. Nihilominus tamen fama vestita circumstantiis & fulta iis adminiculis, quæ prudentis arbitrio faciunt moralem certitudinem, v. g. si mors dicatur contigisse in bello, in loco valde distante, vel si vir absens sit senex, constat de eo, quod fuerit æger, non redit, ubi redire promissit &c. ad hoc sufficiens est; quia jam habetur moralis certitudo. Castrop. n. 8, citatis Gl. in cit. c. *quoniam. v. presumatur.* Abb. in c. in præsentia. n. 6. Mascard. de prob. concl. 1073. n. 4. Sanch. L. 7. d. 46. n. 15. Gutt. c. 51. n. 4. Porro famam probandam duobus testibus omni exceptione majoribus, qui deponere debent, se à fide dignis audivisse, esseque in illo loco publicum, seque credere, rem sic se habere; quinimo, si non adsint conjecturæ probabiles de morte conjugis, debere illos explicare, à quibus personis audiverint, nisi forte sex vel octo testibus fama probetur, ajunt apud Castrop. Mascard. l. c. Sanch. n. 16. Leil. de just. L. 2. c. 29. n. 143.

Quest. 325. An & qualiter unius testis testimonium de morte conjugis præstet dictam certitudinem.

REsp. Affirmari hoc ipsum ab Abb. in c. in præsentia. n. 6. Host. *ibid. ad fin.* Gutt. n. 2. Angel. v. *matrim. 3. impedim.* 13. eò quòd in cit. c. in præsentia. solum exigatur certus nuncius, id est, ut Castrop. n. 5. qui, inspecta qualitate personæ & modo proponendi, judicetur verum dicere. Negant è contra Bartol. in L. 2. §. si dubitetur. ff. quemad. testam. aper. Pith. l. c. n. 134. Sanch. L. 7. d. 46. n. 12. sufficere testimonium testis unius, nisi conjecturis aliis adjuvetur; eò quòd unius testimonium solum semiplenè probet; adeoque non nisi ad generandum judicium probabile sufficiens, juxta L. *jurisjurandi c. de testib. & c. veniens. eod.* ubi dicitur: *verum unius nullius esse,* hoc est, nullius effectus ad ferendam sententiam; ad hæc in c. in præsentia. rò nuncium certum accipitur in neutro genere pro eo, quod nunciatur; sed dici non potest certum nuncium, quòd ab uno solo affirmatur. Sed neque in genere masculino nuncius certus dici potest unus

testis; quia non potest dici asserens certum nuncium, quod quis solus testatur. Pith. n. 134. cum Sanch. l. c. n. 11. Quas sententias ita conciliat Castrop. n. 7. cum Gutt. n. 2. ut unius testis dictum secundum se sit insufficientis; non verò, quando major probatio haberi nequit, & testis ex modo proponendi certum deponere præsumitur.

Quest. 326. An habita dicta certitudine morali, conjux adire possit secundas nuptias propria auctoritate nulla petita licentia Ordinarii.

REsp. Affirmativè: Nullibi enim cavetur, hanc licentiam esse petendam. Sylv. v. *matrimon.* 8. q. 13. Gutt. l. c. c. 51. n. 2. Castrop. cit. §. 1. n. 4. Nihilominus licet jam etiam parochus sine tali licentia assistere possit secundo matrimonio, longè tamen tutius fore, ut res ad Ordinarium deferatur; imò id necessarium esse absolute, si rationabiliter dubitetur, num adsit certitudo moralis, vel præsumptio de morte alterius conjugis, nec ne, asserunt Laym. l. c. Pith. n. 136.

Quest. 327. An & quomodo mulier contracto secundo matrimonio, reduce illius viro, possit cum secundo remanere.

REsp. Tametsi cum consensu Ecclesiæ transferat ad secundas nuptias, & ex secundo viro susceperit liberos, libentiusque cum eo remaneret; quin etiam licet maritus prior redux eam non cupiat amplius, non potest cum secundo viro remanere, sed conjugaliter debet convivere primo, ut constat ex c. cum per bellicam; item ex c. eam in captivitate 34. q. 1. & patet; siquidem, cum constet priorem virum vivere, constet etiam, matrimonium secundum esse nullum, & consequenter secundum virum non esse suum; unde si pergat ei adhærere per usum conjugalem facti, erit adultera, juxta c. dominus. h. t. ubi *relictis adulterinis complexibus ad priorem conjugem revertatur:* quos tales vocat Papa, si de prioris conjugis vita constituerit; nimirum uxori ejus, quæ invalide transit ad secundas nuptias. Neque his obstat, quod cit. c. cum per bellicam. dicitur: *si viri* (nimirum post longam captivitatem reversi) *eas cupiant in suum consortium redire, restituendum est, quod fides poscit:* nempe conjugalis, obligans mulierem ad individuum vitæ societatem cum viro; nam loquitur citatus textus de restitutione ad cohabitationem, ex eo autem, quòd vir redux illam non cupiat, aut velit restitui, aut recipere uxorem, non sequitur, quòd ea possit manere conjugaliter cum secundo viro; cum per hoc, quòd vir rejiciat uxorem suam legitimam, non scindatur ligamen seu vinculum cum eo. Sed neque, si in hoc casu talis mulier se remansuram diceret, & promitteret cum secundo viro, non ut uxorem, sed ut inquilinam domus, Judex ecclesiasticus id tolerare non potest, cum sit morale periculum incontinentiæ, præsertim si ante carnis consuetudinem habuerint.

Quest. 328. An conjux teneatur conjugem reducem recipere quoad cohabitationem & thorum.

REsp. Si conjux, ad quem redit, non habeat justam causam divortii, tenetur reducem recipere ad cohabitationem & thorum. Hinc si conjux captivus per vim præcisam & absolute coactus fuisset ad signa solum externa falsæ Sæctæ, v. g. circumcisus fuisset; vel etiam ut Krimer. de mat. n. 1857. coactus immolare idolo, teneretur adhuc alter conjux eum recipere ad thorum; secus, si captivus verè defecisset à fide, v. g. ad Mahometismum, & nollet

& nollet denuo reverti ad fidem. Item si mulier in captivitate suscepit liberos ex alio per vim præcisam oppressa, non poterit hoc præcisè titulo rejici à viro; cum adulterium ex vi præcisâ commissum non præbeat innocenti justam causam diverendi. Secus videtur, si per vim solùm conditionalem, seu gravem metum, quo incusso plerumque solent barbari copulam extorquere, commiserit adulterium; cum id adhuc non vacat culpa. Item etiam si redux sit corpore vitiatum, redditus deformis, infirmus, tenetur illum adhuc recipere, nisi talis sit infirmitas, quæ alterum deobliget à consortio thori propter evidens periculum infectionis, v. g. lepra, morbus gallicus, pro ut omnia constant ex dictis de divortis.

Quest. 329. Quid sit benedictio nuptiarum, & num necessario aut etiam licite adhibenda secundis nuptiis.


1. **R**esp. Primò: Per benedictionem nuptiarum aliud non intelligitur, quàm preces ac caremonia ex præscriptione Ecclesiæ adhiberi solita in solemnitate nuptiarum tum ad majorem Sacramenti dignitatem, tum ad impetrandam benedictionem divinam ad actus conjugales deinceps debito sine ac modo decenter exercendos: unde etiam Trident. *sess. 24. de reform. mat. can. 11.* eos, qui istiusmodi caremonias damnant, ferit anathemate, simulque statuit eas non nisi à proprio parochio contrahentium (qui et si non sacerdos assistere possit matrimonii, non tamen benedictionem illam impertiri; cum ea sit ordinis sacerdotalis inter missarum solennia impendenda, ut Wiestn. *h. t. n. 25.* cum Barb. *ad Trid. c. 1. n. 151.*) aut alio sacerdote, obtentâ super hoc licentiâ ab ordinario, peragenda, non obstant quacunque, etiam immemoriali, in contrarium consuetudine aut privilegio. Obligat verò hoc Tridentini statutum, ita ut si ex contemptu (secus, si ex mera negligentia) omittatur dicta benedictio, peccetur mortaliter, ut Sanch. *L. 7. de mat. d. 82. n. 6.* Perez. *de mat. d. 43. f. 10. n. 4.* Gobat. *exper. rr. 10. n. 562.*

2. **R**esp. Secundò: In secundis nuptiis adhiberi benedictio non debet, quantum est de jure communi, si ambo conjuges & eorum unus (cum benedictio impertita uni communicetur utrique, ut Abb. *in c. vir autem. h. t. n. 2.* Fagn. *n. 6.*) in priore matrimonio benedictionem suscepit; secus, si neuter eam accepit, ita Abb. *l. c. n. 3.* Anchoran. *in idem. c. n. 1.* Sanch. *l. c. n. 25.* Pirh. *h. t. n. 13.* juxta *cit. c. vir autem.* ubi: *vir autem vel mulier ad bigamiam transiens non debet à parochio benedici:* quia, cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio non debet iterari; idque ob defectum significationis Sacramenti in secundis nuptiis repertum. Fagn. *in cit. c. vir autem. n. 5.* Pirh. *l. c.* quæ tamen significatio nimirum conjunctionis Christi cum Ecclesia, cum aliquo modo salvetur, si virgo contrahat matrimonium cum eo, qui prius aliam uxorem ha-

buit, has nuptias secundas benedicendas esse, ex D. Thom. *in 4. sent. d. 42. q. 3. a. 2. ad 2.* & Covar. *l. c. §. 11. n. 2.* testante, sic servari in praxi, asserit Pirh. *h. t. n. 13.* quamvis addat, id repugnare *cit. c. vir autem.* ubi absolute dicitur, secundas nuptias non esse benedicendas, si unus eas contrahentium in primis suis nuptiis fuerit benedictus, idque ne benedictio reiteretur in eadem persona, dum, ut dictum paulo ante, benedictio uni impertita, in primis nuptiis communicetur alteri conjugum non benedicto.

Dixi: *In quantum est de jure communi:* Siquidem de consuetudine dicta benedictio sacerdotalis in pluribus diocæsis secundis nuptiis impenditur, quoties ea uni, maxime sponsa, & in aliquibus etiam sponso, in primis nuptiis non fuit impensa, eaque tunc solùm omittitur, quando ab utroque jam ante recepta; ita Perez. *l. c. n. 2.* Gobat. *l. c. n. 564.* Wiestn. *n. 29.* Pirh. *h. t. n. 17.* ubi etiam ex Sanch. *l. c. n. 23.* ait, talem consuetudinem approbatam à Joann. XXII. quamvis addat ex eodem, illam non obligare sub præcepto, sed benedictiones stante ea consuetudine omitti posse in eo casu, dum unus eorum, sive vir, sive mulier, in primis nuptiis benedictus fuit. De cætero, ut valeat consuetudo, necesse non esse, ut ea approbante vel sciente Papâ fuerit inducta, contra Gl. *in cit. c. vir autem. in fine.* Abb. *ibid. n. ult.* Host. *v. benedici,* tenet cum Sanch. *n. 20.* Pirh. *n. 18.* eò quòd, ut generaliter deciditur *c. fin. de consuetud.* consuetudo rationabilis legitime præscripta, etiam Principe ignorante inducta, habeat vim abrogandi legem quamcunque, nec minus id locum habeat in sacramentalibus, quale quid est benedictio illa, quàm in aliis. Benedictionem verò citra talem consuetudinem secundis nuptiis incurere, tanquam pœnam ordinariam, suspensionem ab officio & beneficio. Arg. *c. 1. h. t.* et si putent plures apud Sanch. *l. c. n. 27. & 29.* Verius tamen contrarium, seu non incurri hanc pœnam, sed etiam arbitrio Judicis inferendam, censent Abb. *in cit. c. 1. n. 5.* Sanch. *n. 30.* Reiffent. *n. 34.* eò quòd dicta suspensio tanquam pœna gravissima non videatur proportionata delicto minus gravi, quale est illa secundarum nuptiarum benedictio leclulo scandalo. Hanc tamen ipsam pœnam suspensionis non esse ordinariam ipso jure latam, sed à Judice ferendam, ait Pirh. *n. 16.* idque intelligendum de benedicente nuptias secundas, dum necdum constat de morte prioris conjugis, vel benedicente illas sine licentia Ordinarii, aut legitimi parochi, vel ob speciales circumstantias delictum aggravantes. Wiestn. *n. 30.* Reiffent. *l. c.* Hoc ipsum autem, quod dicunt Sylv. *v. nuptia. q. 1. Paludan. in 4. d. 42. q. 3. a. 1. n. 8.* Clarus *§. fin. q. 75. n. 2.* hanc pœnam suspensionis per sententiam infligendam, postquam inflicta, esse reservatam Ordinario, melius negant Abb. *l. c. Alex. n. 5.* Menoch. *de arb. cas. 4. 17.* Diaz. *pract. c. 74. n. 2.* Sanch. *cit. n. 30.* quos citat & sequitur Wiestn. *n. 30.*

F I N I S
Libri Quarti Decretalium.



INDEX